

ARCHIWUM UNIwersYTETU JAGIELLOŃSKIEGO



ZESPÓŁ:

Rękopisy XV–XVIII w.

SYGNATURA:

Rkps 300 – Statuta antiqua maioris Universitatis Cracoviensis Collegii,
1765-1766

DIGITALIZACJA:


Archiwum Uniwersytetu Jagiellońskiego
2008 r.

1. NR ARCHIWUM: 805	2. NAZWA ARCHIWUM: Archiwum Uniwersytetu Jagiellońskiego	
3. NAZWA ZESPOŁU: Rękopisy XV–XVIII w. (Rkps)		
4. NR ZESPOŁU: 2	5. SYGNATURA OBIEKTU: Rkps 300	
6. LICZBA STRON/KART: 62		7. LICZBA SKANÓW: 48
8. DATA WYKONANIA: 2008	9. NAZWA PRACOWNI: Archiwum UJ	10. WYKONAWCA KOPII CYFROWYCH: -
11. UWAGI: -		





STATUTA
MAGISTRORUM
COLLEGI MAJORIS REGIS VLADISLAI
UNIVERSITATIS
CRACOVIENSIS



I

300

V

STATUTA ANTICA
Majoris Universitatis Cracoviensis Collegii.
In Praepositura

Magistri Mathiae de Labyszyno de
novo conscripta, et per totam Communita-
tem Collegii Magistrorum aliqua collecta,
et aliqua Antiquis superaddita in quibus-
dam certis Punctis, Annó Domini Millesi-
mó Quadringentesimó Vicesimó Nonó.

Tandem

In Praepositura secunda

Magistri Casimiri Antonii Czerwinski, Phi-
losophia Doctoris, ejusdemque Regii Pro-
fessoris, Collega Majoris, Ecclesiarum; Collegi-
atae S. Annae Cracovia Cancellarii, Parochialis
in Proszowice Praepositi, protunc Facultatis
Philosophicae Decani.

Annó Domini 1760
ad distinctiores Characteres

REDACTA.

[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is mostly obscured by the paper's texture and discoloration.]

In Nomine Domini **N**ostri Jesu Christi, Amen

S T A T U T A

Magistorum Collegii Regis Vladislavi

I.

De Mensa Magistorum

Magistri habeant unam Mensam communem, ad quam quilibet manens in Collegio sit adstrictus, extra quam nulli licebit tenere proprias expensas in Collegio vel extra, nisi ad hoc communi Magistorum concurrente favore, de qua Mensa communi nulli liceat dare panem aut pulmentum.

II.

De Bursa colligenda.

Quia carentia pecunia impedit omne Forum, providemus, quia quilibet Magistorum debet dare Bursam feria sexta infra occasum Solis, si per Praepositum aut famulum suum fuerit commotus. Et si non dederit, solvet unum grossum, etsi sabbato monitus non expedierit, det similiter unum grossum, etsi die Dominica non solverit, similiter, et sic consequenter. Hanc tamen penam, si Communitas per non solventem non fuerit laesa, in comparatione victualium, poterit Praepositus si voluerit misericorditer relaxare.

III

De Absentia Mensae.

Quia omnes fructu Communitatis gaudere volentes, etiam onera Communitatis aequaliter aliis tenentur sustinere. Providemus, quia omnes in Collegio manentes collegialiter ad ponendam totam Bursam qualibet hebdomada sint adstricti ita, ut nulli liceat alibi sibi procurare expensas, vel mensam communem refutare. Si autem aliquis contrarium presumpserit, et sine speciali licentia Praepositi primam hebdomada Bursam dare recusaverit, det pro pana tres grossos. Si autem sequentibus hebdomadis non praverit sine licentia Communitatis, pro qualibet solvat tres grossos toties, quoties ipsum hanc negligentiam committere contingat. Exceptis infirmis, quibus lex non est imposita.

IV

De Tempore, quo aliquis Magistrorum tenebitur dare totam Bursam.

Cum non debeat Domus Collegii determinatum numerum Magistrorum in se retinens ut aliud hospitium Civitatis tenere publicum, bonos & malos indeterminatè colligens ad unum prandium, vel per duo vel tria duntaxat recipiens, reputari. Ideo quicumque Magistrorum comederit per tres dies continuos aut discontinuos, det totam Bursam, alias pro quolibet die det unum grossum. Isto tamen modo quicumque fuerit in facto

3.
Communitatis, det iuxta exigentiam dierum, et Bursa
pro tunc currentium, quam exigentiam Praepositus
Mensa habebit arbitrariam.

V

De honestate Domus servanda. X

Quia scriptum est: ab omni suspitione mali abstinete vos. Statuimus, quod nulla Mulier inhonesta ad Collegium intromittatur. Si qua autem fuerit honesta, habeat secum sociam, vel aliam Personam honestam conjunctam, cum^{que} Magister conferre poterit honeste id, quod fuerit opportunum, aperto tamen comodo et adjuncto sibi alio Magistro, aut alia Persona fide digna, ita, quod suspicio evellatur, mora tamen haec non sit diuturna. Si autem sola venerit ad Commodum, solitarius cum ea non maneat, sed foras exeat, et quod fuerit opportunum, sine longa mora cum ea colloquatur. Si autem praeter formam praemissam aliquis mulierem ad cameram suam introducere praesumpserit, de quo si convictus fuerit, primo dabit unam seageham grossorum, quod si secundo hoc fecerit, ejici debet de consortio Magistrorum sine spe redeundi ad eosdem. Praeterea volumus ut aliqua mulier vel virgo quantumcunque honesta praeter locam in Collegio pernoctet, quod si quispiam Magistrorum aliquomodo huic statuto contravenerit, poenam praemissam noverit se incursum.

VI.

De Custodia et Clausura Domus

Dignum est quod Domus Dicata Deo nullis fiat in pro-
 verbium, sed ceteris domibus amplioribus excubiis cus-
 todiatur aliis in exemplum. Statuimus, quod Collegi-
 um Magistrorum debita hora claudatur, in estate
 videlicet hora ~~secunda~~ noctis, in hyeme vero quarta hor-
 ra noctis. Si aliquis Magistrorum post horas ante-
 dictas Collegium intraverit, aut ostium pulsaverit,
 solvat pro pana sex grossos. Item si quis Perso-
 nam extraneam in Commodo suo aut in Collegio si-
 ne licentia Prepositi pernoctaverit, solvat pro pana duos
 grossos.

VII.

De Pernoctatione extra Collegium.

Sine suspitione sinistra via esse poterit, ut Magistri
 dimissa honesta requie habitationis propria, dormiant
 in hospicio alieno. Providemus, quod nullus extra Col-
 legium pernoctet. Quod si facere presumpserit & in loco
 honesto repertus fuerit, & ex causa rationabili, solvat
 unum grossum. Si autem in loco inhonesto, & de hoc
 legitime convictus fuerit, solvat Collegio unum sexa-
 genam. Si vero notam infamiam incurrerit, & se non
 expurgaverit, tanquam infamis remaneas & putridum
 membrum a Magistrorum consortio & Collegio irrevocabi-
 liter rescindatur.

VIII.

De Novo-intrantibus Collegium.

Advertentes, quod bona communia Collegii maxime utensilia, quorum usus est eorum consumptio, continuo perirent et omnino deficerent, nisi successively renovarentur. Placuit consensu ratione, ut Magistri per amplius canonicè electi, et per Collegium in Collegas assumpti, per tres septenis statim in eorum ingressu contribuant, vel minimè infra mensem dare in effectu non negligant. Quod si aliquis utique non habuerit unde solvat, extunc petat dilationem à Communitate ad certum tempus, in quo solvere sit adstrictus. Quam pecuniam non solus Praepositus colligat, sed duo Magistri Praeposito coexistentes, qui hanc pecuniam pro necessitatibus utensilibus mensa fideliter habeant dispensare.

IX.

De Praeeminentia Praepositi.

Monstrorum & admiratione dignum videtur, ut corpus in membris benè dispositum capite careat. Statuimus, ut in Collegio sit Praepositus, qui pra aliis positus primatum in mensa teneat, omnia Collegium concernentia fideliter disponat, omnes Magistros in quantum Collegas & Scholares judicet, in arduissimis verò causis Collegium consulat, Bursam à Magistris colligat, & Magistris in conscientia sua in principio Praepositura premitat, quod ipsis fideliter de pecuniis eorum provideat, familiam regat, familiares coquina sibi convenientes &

6.
portulanum assumat, minus habiles rejiciat, alios regu-
mat. sicut sibi & Collegio videbitur melius expedire. In-
super idem Praepositus nullum penitus praeter Procura-
torem, Lectorem, cocam, pinceruam, & tersianum in co-
quina patiatur, in nocumentum vel impedimentum,
Communitatis aut coquina. Praeterea volumus, quod
nullus Magistrorum praeter proprium vel proprios ad ma-
ximum duos servitores ad mensam servitorum Commu-
nitatis ac Magistrorum audeat collocare.

X.

De ordine Magistrorum Praepositantium.

Quia onera communia Communitatum maxime videntur esse
onerosa, difficilia ad exequendum, si non fuerint distri-
bula per singulas Personas Communitatis, juxta consi-
lium Genitricis datum Moysi, nam facilius portant onera plu-
res quam unus. Ne igitur in Collegio Praepositura tam
Mensa quam Cellarii certos gravent, Et alios liberos faci-
ant. Statuimus, quod singuli Magistri societate Ma-
gistrorum ac mensam gaudere volentes praepositent per
unum medium Annum circa mensam, et alium medi-
um annum in cellario, Et hoc juxta ordinem Vocatio-
nis, quo quis vocatus est ad Collegium, cum ipsum
tetigerit, sub pena decem Marcarum & exclusionis à
Mensa, nisi tunc quis de Communi consensu absolvetur
à tali Praepositura Mensa vel Cellarii. Ordo autem illius
Praepositura fiat, semper per ascensum incipiendo à
Junioribus usque ad Superiores juxta Vocationem ad
Collegium. Institutio autem Praepositi astate fiat prae-
fent

7.
feriâ sextâ ante Georgii post prandium Magistrorum & dis-
crabit usque ad proximam feriâ sextam ante Galli, &
ibi eodem die instituantur Praepositi ad hyemem, & dura-
bunt usque ad proximam feriâ sextam ante Georgii.
Octo tamen diebus ante institutionem fiat eorum electio
per Convocationem, similiter & institutio eorum. Si au-
tem fiet disceptatio inter duos de Collegio ratione Prae-
positura, ceteri Magistri in absentia illorum duorum
tenentur tractare, quis illorum debet esse Praepositus,
et si quis eorum sententiam Magistrorum recusave-
rit, puniatur in decem Marcis & excludatur à Men-
sa tam diu quousque se non emendaverit.

Item statuimus, quod Magister de novo electus ad sol-
legium & assumptus, sequenti commutatione sit adstrictus
ad praepositandum sub eadem pena, et si taliter praepo-
sitando finiverit ordinem, commutatione sequenti iterum
praepositabit, novum ordinem incipiendo, sub pena supe-
rius dicta. Item si aliqua Persona extranea ex communi
consensu Magistrorum ad mensam admittentur, tales
etiam sint adstricti ad praepositandum in communi Men-
sa Magistrorum. Item si contingeret aliquem Magi-
strorum facere mutationem in Beneficiis cum Magistro
extraneo, talis mutans extraneus sit adstrictus ad praepo-
sitandum sub eadem pena, ac si noviter intraret.

XI.

De Reverentia Magistrorum ad Praepositum.

Quia decens est, ut Majoribus honor deferatur. Nequa-
quam per amplius aliquis Magistrorum audeat Praeposi-
tum Collegii verbis pungitivis publicè turbare, aut Men-
sa

0.

se cibaria vituperare, aut taxare, quod si quis facere presumpserit, et à Preposito ter menitus non cessaverit, panam quatuor grossorum incurrat. Si vero Prepositus minus bene providerit, ea communi Magistrorum consensu pie informetur, ut diligentia majori apposita Magister lautius provideat, ut competenter refecti Lectiones & exercitia, vel alia Universitatis onera melius valeant supportare.

XII.

De diligentia Prepositi et Remissione Ejusdem.

Item ne Prepositus negligens in negotiis Collegii existat, in exponendis pecuniis & penis caltorquendis in judiciis Personarum faciendis, quibuscunque aliis causis existentibus, remissus existat. Statuimus, ut deinceps Prepositus in principio sui regiminis in omnium presentia antiquo Preposito promittat, quod velit pecuniis fideliter dispensare, cum diligentia Magister in Mensa providere, penas ab eisdem irremissibiliter caltorquere, nulli parcere, & singula Statuta correcta & fienda per modum Statuti ad unguem tenere.

XIII. VI.

De Juramento Magistrorum Preposito.

Quia nulla est Mandatorum Auctoritas, nisi esset, qui mandatum timens, et timore vel amore exequeretur. Statuimus, ut singuli Magistri societate Magistrorum galea

gaudere volentes, ac cum eis in Collegio habitare, iurent
 Praeposito et suis Successoribus legitime intrantibus obedien-
 tiam in licitis & honestis duntaxat Collegium concer-
 nentibus, & statuta et statuenda pro bono Collegii facta &
 scienda secundum formam Statutorum pro posse servare,
 Et hoc debet facere sub pena exclusionis à Collegio, & ab
 omni quod possit consequi emolumento. Insuper quod
 sub eodem juramento nullus secreta Collegii in Convocatio-
 nibus proposita seu tractata per medium secretorum aut
 Capitulorum Personis extraneis revelet. Quod si aliquis de
 revelatione talium convictus fuerit, pro primo solvat Commu-
 nitati unam sexagenam. Si vero secundo convictus fuerit,
 excludi debet à talibus Convocationibus Magistrorum. Et si
 videbitur Magistris, puniri potest majori pena Collegiam arbitrande.

XIV.

Ut inter Magistros sit Charitas et disciplina.

Statuimus, ut in consilio quilibet sit in voce sua circumspectus,
 solum pro bono Communitati loquatur, nullius Personam con-
 fundendo. Quod si aliquis capitosus, & sui honoris immem-
 or aliquem ex Magistris Juvenem aut Senem parvi pen-
 dere, & vili pendere, ac vocem alterius contumaciter con-
 fundere presumpserit, tunc statim Praepositus in eadem
 convocatione puniat eundem incompositum in duobus
 gressis, quam penam idem sic excedens statim deponat
 vel pignus, & ei silentium Praepositus imponat. Quod si
 à verbis superfluis & inutilibus cessare noluerit, aut pe-
 nam statim vel vadium dare recusaverit, penam dupli in-
 curat.

currat. Etsi secundo monitus contumaciter mandatis et hortationibus se opposuerit, penam triplicem incurrat, et ab eadem Convocatione mox excludatur. Etsi tertio monitus Praeposito se contumaciter opposuerit, ab eadem Convocatione excludatur, et penam graviolem contra talem rebellem et pacis inimicum ceteri Magistri dicent, quam penam si non dederit infra octo dies, à Collegio Magistrorum penitus excludatur.

XV.

De voce danda in Consilio.

Statuimus, ut singuli Magistri in Consiliis Collegii suas voces plenas habentes, nullus in vocem alterius prorumpat, sed uno loquente ceteri taceant, quò loqui cessante, si quispiam rationem meliorem habuerit, poterit cum reverentia ejusdem Magistri et Praeposito consentiente rationem suam in medium proponere, pro boni communitatis incremento. Etsi quis Magistrorum pravolans fuerit et vocem alterius interruperit, duos grossos irremissibiliter persolvat.

XVI.

De conclusione facienda per Praepositum in Consilio.

Item in Consilio Collegii Praepositus facta inductione secundum ordinem et sententiam Magistrorum, auditis singulorum vocibus secundum conscientiam bonam pro bono communi propositis, secundum pluralitatem vocum concludat, et eandem conclusionem sub bona fide et conscientia exequi debet non obstantibus aliorum contradictionibus.

XVII.

De Familia communi Domus tenenda.

Quod omnes tangit, ab omnibus comportetur. Statuimus, quod singuli habentes Commodum in Collegio, Familiam communem Domus supportent, vestiunt ac nutriant. Item si aliquem ex legitimis causis Cracoviâ exire contigerit, aut ex licentia Collegii in Cracovia existens se à mensa absentaverit, de qua libet septimana medium grossum, ut ceteri communem Familiam Domus possint conservare.

XVIII.

De Lectura ad Mensam.

Ad evitandum inutilis garrulationes, placuit, ut sicut corpus materialibus alitur, ita et mens intus pinguedine spiritualium recreetur. Quilibet Magistrorum secundum ordinem & senium promotionis, Ave Magisterii legat pro una hebdomada ad Mensam Magistrorum per se vel per alium, qui si legere neglexerit, pro qualibet lectione dabit unam quartam pro pana, & nulla causa excusationis admittatur.

XIX.

De Locis Magistrorum habendis intra Mensam.

Omne Seminarium invidia, displicentia & rancorem extirpandum esse perhibetur. Ut Communitas possit firmiter radicari, volumus unanimiter, quod Magistri mutuo sibi honorem deferentes, nihilominus quilibet quod sibi debetur, de jure non omittat, junior Magister cedat Seniori in Mensa. Lau

locum eminentiorem non usurpet, nisi senior Magister liberè condescenderet, et juniorem in loci eminentiam praeferreret, sub pana unius grossi.

XX.

De Portione servanda Magistro absenti.

Quicumque Magistrorum in negotiis Universitatis, aut Collegii, aut Ecclesiae S. Floriani occupatus, horam prandii aut cana neglexerit, integra ei portio tam de pulmentariis, quam aliis ferculis et cerevisiâ sicut et praesentibus reservetur. Si autem ex alia causa quacunque prandium aut canam neglexerit, portiones carniuum vel piscium et panis, demptis pulmentariis et cerevisiâ, reserventur, sic tamen quod diebûs, quibus non est jejunium tam ad prandium quam ad canam sibi medius panis detur; diebûs autem quibus est jejunium, talibus vel tali integer panis detur. De istis autem qui jejunant quartis feriis, et diebûs sabbatis, isto modo fiat; quod dentur ipsis mane portiones serotinae tam in piscibus quam in ovibus, si Praepositus pisces vel oves est daturus. Sed de expectatione Praepositorum aut Canoniorum S. Floriani diebûs festivis cum prandii fiat iuxta arbitrium Magistrorum, quod si voluerint expectare, expectent, si verò noluerint, comedant, sic tamen, quod omnia iuxta modum superius scriptum de consistentibus in facto Collegii vel Universitatis prandium concernentia conserventur.

XXI.

De Tempore, quò legi debent Statuta Collegii.

Ne quis ignorantiam pretendens, penam horum Statutorum incurrens, se possit excusatione tueri, placuit quòd bis in anno videlicet ante principium inchoationis studii Prepositus qui pro tempore fuerit, singula Statuta distinctè legat, sub pena quatuor grossorum.

XXII.

De collectione pecuniarum pro Lignis.

Statuimus, ut Prepositus, qui pro tempore fuerit, quolibet anno in crastino Festi Joannis Baptista faciat Convocationem Magistrorum ad colligendum pecunias pro lignis emendis ad stabam communem Magistrorum, Si aliunde pecunia habenda non poterit, et summam conclusam per Magistros extorqueat sub pena sex grossorum, ad quam summam pecunias pro Lignis contribuendam nullus se eximere poterit, quamdiu ^{com-}modum in Collegio habuerit.

XXIII.

De hoc, quomodo aliquem Magistrum deceat ambulare nocturno tempore.

Cum non deceat quemque tempore nocturno vagari per Plateas Civitatis. Statuimus, ut nullus Magistrorum ut nocticorax lumen odians, post horam tertiam noctis extra ambulet in Plateis sine candela et famulo suo

suo aut alia societate honesta et condecenti. Nec etiam nocturno tempore in Comodo suo aut alibi insolentias faciat, quibus alii Magistri quiescentes, ^{aut} studiis suis inhærentes, possint impediri, sub pana unius sertonis.

XXIV.

Quomodo non decet Magistrum divagari de nocte. ita de die

Qui debet sedulo alios informare fideliter, necessum est, ut libros consulat, concepta mente revolvat, et mente bene collecta et indistracta Discipulis anteponat. Ideo nec de die Magistris licebit hinc et inde per vicus Civitatis divagari, tabernas visitare, publica spectacula respicere, Stationes publice cum Mulieribus facere, cum eisdem diu garrulare, nec licebit loca suspecta visitare, vel honesta, in quibus posset Collegio scandalum suboriri ex nimia dissolutione ipsius vel inhonesta conversatione, que singula mentes distrahunt, bonos mores corrumpunt, vitia ingerunt, et bonam famam minuunt. Si quis autem hanc constitutionem servare non curaverit, et ter monitus se non emendaverit, ^{pena} arbitraria per Collegium puniatur.

XXV.

De Discordantibus.

Quibus inter se discordantibus partibus, ad hærentium viscera contremiscunt. Statuimus, si quis Magistrum ^{contra}

contra Fratrem & Collegam suum causam riosam vel offensivam in Collegio collegialiter sortam habuerit, sine strepitu soli Proposito causam suam proponat, qui si solus Propositus bonum medium inter eos invenire nequiverit, ex tunc Propositus, cum assumptis duobus Magistris causam examinent et definiant, qui si in unam sententiam nequiverint concordare, et tunc Propositus causam eandem Communitati Magistrorum insinuet, et sententiam ab illis definitivam proferat, à qua nulli licebit appellare, sub pena unius sexagenae, ne facta Collegii collegialiter tractata in publicum evolent, in scandalum et proverbium plurimorum. Si vero aliqua pars certos Magistros suspectos habuerit, causam suspicionis contra eos proponat, quam causam ceteri dijudicent, si rationabilis fuerit, admittatur, et causa eadem sine suspitione terminetur. Si vero causa legitima non fuerit, non poterit eos à consilio repellere. Si vero una pars totum Collegium suspectum habuerit, & velit Forum Collegii declinare, si quum est, quod quarat esugium, cum non sit veri simile, quod Sancta Comunitas plus erraret quam unus, qui solus sua sententia innititur. Ideo si juri Collegii parere noluerit, dabit decem marcas Communitati.

XXVI.

De pace conservanda, et antiquis litibus non suscitandis.

Quia optimum Bonorum in Communitatibus est pax et concordia, ideo pro bono pacis intimius conservando

et radicem jurgiorum radicibus extirpando. Statuimus, quod nullus Magistrorum lites mortuas et sopitas alio quomodo movere aut suscitare presumat, quod si quis fecerit, signum est, quod radix invidia in eodem amaricata prona sit malum proximo germinare, ideo in duobus grossis puniatur.

XXVII.

De Libraria custodienda.

Quia nisi adhibeatur sollicitudo custodia, libri et alia res, qui à pluribus in usus recipiuntur, facillime distraherentur et deperderentur. Statuimus, quod quolibet et anno eligantur duo custodes Libraria, qui habebunt sollicitudinem custodire Libros, et plenum posse accommodare eosdem Personis fide dignis. Et praesertim volumus, ut Magistri laborantes in materiis librorum actus communi respicientes, in concessione sive receptione talium Librorum praerogativam et electionem habeant specialem. Item volumus, ut tales custodes qualibet mutatione debeant recolligere libros, et de eis Antecessoribus suis rationem reddere. Quam rationem et fidelitatem custodia Librorum praesertim Privilegorum ac aliarum rerum eis commissarum in electione Ipsorum promittant bona fide et inviolabiliter observare. Praeterea si Magistris placebit circa resignationem Ipsorum, tales poterunt reelegi ad tale officium continuandum.

XXVIII.

De electione Novi Collegiati

Cum Elecerum intentio versari debet, ut eligant meliorem. Placuit omnibus, quod vacante Collegiatura vel alio Beneficio ad collationem seu presentationem Magistrorum spectante, statim in sequenti die, si commode fieri possit, electio fiat, vel quantocyus fieri poterit tali modo: quod Magistri ad quos pertinet electio per Convocationem congregati invocatione Spiritus S. prahabita eligere debent bona fide et pura conscientia Personam idoneam, vita et meritis commendabilem, onera et labores Collegii susserre valentem, non curando, an sit Indigena vel forensis. Talis autem electio fieri poterit per cedulas aut per voces iusta quod Magistri tunc eligentes arbitrabuntur. Si vero talis electio eis placuerit fieri per cedulas, tunc talis modus est observandus: quod quilibet Magistrorum scribat in cedula nomen illius, quem sic ut pramissum est bona fide et conscientia eligit, et tunc tales cedulas per duos de Comunitate electos colligebent, et illis cedulis comportatis et diligenter conspectis fideliter et in bona conscientia pronuntiare debent sic electum ex pluralitate volorum in cedulis concurrentium, et tales cedulas et vota in eis contenta sub sigillo secreti et sine manifestatione tenere sub pana prastiti juramenti obligabuntur, cedulas etiam ne occulta per eas prodeant aut evolent, per ignem aut distractionem consumere caute tenebuntur. Insuper

si

si in tali electione eorum vel scriptorum paritas occurrerit, differatur electio ad unam horam vel ad duas, vel ad aliud tempus non notabiliter longum juxta arbitrium Magistrorum toties quoties fuerit opportunum tam diu, donec plures Magistri sive major eorum pars in unam Personam sic ut premissum est idoneam direxerint vota sua. Si autem Praepositus in praemisso statuto negligentiam commiserit, tunc penam unius ferlonis noverit se incursum.

XXIX.

De habitu Magistrorum.

Quia in laboribus et actibus Magistrorum expedit, ut habitus decens et specialiter ad hoc deputatus habeatur. Ut igitur Magistri de Collegis aliis in hoc sint Forma et exemplum, statuimus, quod quilibet Magister de novo intrans Collegium Thabardum habeat, alias juret, quod intra tres menses velit sibi habitum Magistralem comparare. Si autem non poterit intra hoc tempus, tunc petat tempus sibi congruens ad hoc faciendum, et Magistri visa qualitate Persona, super hoc poterint arbitrari.

XXX.

De Plebanatu Ecclesiae S. Annae.

Quicumque Magistrorum Ecclesiam S. Annae fuerit assecutus, ad unum actum faciendum in Collegio sit adstrictus.

XXXI.

*De Ordine et Ascensu Magistrorum Col-
legii in Beneficiis, Commodis, aut aliis
Proventibus.*

*Quia dignum est, ut qui prior fuerit in onere et labore,
potior sit in premio et honore. Iustitia igitur exigente
volumus, quod quilibet secundum ordinem et
Senium Vocationis ad Collegium, Beneficium, Com-
modum, Cellarium, sive alia quavis emolumenta ad-
piscatur juxta ordinem et ritum in eodem Collegio diutius obser-
vatos.*

XXXII.

De Ingressu Extraneorum ad Collegium.

*Quia Domus Collegii pro laborantibus cum suis per-
tinentiis specialiter deputata non quoslibet indetermi-
nate et passim ^{debeat} aggregare. Statuimus, quod nullus
Extraneus ad Collegium et precipue ad Mensam Commu-
nem admittatur.*

XXXIII.

*De Fisco in communi, et collectione
pecuniarum pro eodem.*

*Quilibet Collegiatus pro se et famulo suo quolibet Qua-
tuor temporum dabit unum gressum. Si autem duos
fac.*

famulos habuerit, et secundum tenuerit in propriis
 expensis, pro eodem etiam dabit unum grossum vel
 duos; cum licentia Propositi quos non tenet in propriis
 is expensis, pro quolibet solvat sex grossos. Quicumque
 autem extraneorum Magistrorum aut alia Per-
 sona in Collegio manserit, quolibet Quatuor tempo-
 rum det pro se sex grossos, pro secretariis et pro
 uno scholario unum grossum. Si autem plures
 quam unum habuerit sive in propriis expensis
 sive non in propriis, pro quolibet sex grossos per sin-
 gula Quatuor tempora solvere sit adstrictus.

XXXIV.

De Custodia ab Incendio.

Ubi amplius timentur pericula et damna, illic ma-
 jor adhibenda est cautela et custodia. Statuimus,
 ut omnes ac ceteri in Collegio habitantes providi
 sint, circa custodiam ignis et candelarum ad pe-
 ricula incendierum evitanda. Præterea districtè
 observare volumus, quòd nullus Magistrorum aut
 servitorum, aut quicumque in Collegio manens
 candèlam ardentem ad secretum ferre presumat
 nisi ipsam in laterna reclusam teneat sub pena
 unius grossi. Servitores verò transgredientes hoc
 statutum, et præmissam penam solvere non valen-
 tes per Magistros proprios corrigantur. Si verò

Magister proprius sic excedentem noluerit corrigere, tunc sine contradictione Praepositus taliter excedentes panam correctoria debet emendare. Si vero aliquis Magistrorum vel alter quicumque in collegio manens incircumspectus fuerit, et ex negligentia quod absit incendium procuraverit, talis noverit se panam arbitrariam iuxta quantitatem excessus per Collegium dictandam incursum.

XXXVI.

De repositione Pecuniarum per Praepositum Cerevisia.

Quia necessarium est, ut pro consolatione Communitatis semper aliqua pecunia propter emergentes necessitates in communi habeatur. Statuimus, quod quilibet Praepositus Cellarii omni Sabbato pecuniam si quam congregavit, ad cistam communem sub pana duorum grossorum reponat, quam cistam teneant et custodiant duo Magistri Praeposito coelecti; Praepositus vero Cerevisiae clavem habeat ad eamdem.

Item Volumus, quod idem Praepositus Cellarii in fine Prandii aut cana non det cerevisiam ad Mensam indifferentem ad cuiuscunque importunitatem, nisi per Praepositum Mensa visa opportunitate Monitas fuerit, qui etiam hanc monitionem non faciet, nisi adminis consensu habito duorum Magistrorum.

XXXVI.

De Officio Pincerna et eius pretio.

Statuimus, quod Pincerna seu propinator cerevisia Communitatis pro mercede salarii sui habeat hebdomadam a Communitate tres grossos, ita tamen, quod duos det ad bursam Preposito Mensa, et tertium grossum residuum sibi pro salario reservando. Qui etiam Pincerna seu propinator cerevisia non nisi de consensu Communitatis per Prepositum Cellarii assumatur, et talis Pincerna in Officio suo circa Mensam Communitati Magistrorum servire tenebitur, et cum familia communi Domus comedere sit obligatus. Etiam et communes labores Vicium concernentes, puta purgationis Curia et similes pariter cum Procuratore Tersiano sit adstrictus.

XXXVII.

De Absentibus.

Ne per injuriam unius tota Communitas perturbetur. Statuimus, ut quilibet Beneficiatus seu Collegiatus in sui absentia suum legitimum habeat Procuratorem, quem si non habuerit, et absens fuerit, Collegium cum non tenetur querere vel expectare, sed iuxta statuta procedere ad Beneficiorum seu Collegiarum distributionem illius absentia non obstante, ne facta Collegii ejusmodi poterit infringere, sed potius
sua

sua negligentia debet imputare.

XXXVIII.

De Servitoribus Magistrorum non multiplicandis.

*Quia multiplicatio servitorum vel Scholarium saepius fit
 it occasio murmuris et displicentia Magistrorum. Ne
 igitur Magistri multiplicent servitores aut Scholares
 in Collegio, conclusum est per omnes Magistros nullo
 contradicente in die XI. Millium Virginum. Anno
 Domini Millesimo Quadringentesimo Quadragesi-
 mo septimo, quod nullus Magister debeat locare ad
 mensam, nisi unum Scholare[m] proprium, quem in
 propria Camera foveat, & quod ibidem dormiat, sibi
 obsequia praestando. Si autem plures habuerit Scho-
 lares praeter unum, provideat eis de expensis ulcun-
 que poterit, exclusa mensa communi Magistrorum
 Scholarium, similiter et coquina, ita tamen, quod
 pro quolibet excepto uno, singulis Quatuor tempo-
 ribus scilicet grossos pro secretariis tenebitur dare.
 Quicumque autem Extraneorum Magistrorum aut
 alia Persona in Collegio manserit, quolibet Quatuor
 temporum det pro se pro secretariis sex gros-
 sos, et pro uno Scholari unum grossum, si autem
 plures Scholares quam unum habuerit, pro quolibet sex
 grossos ad singula Quatuor tempora solvere sit adstrictus.*

XXXIX.

De Anno Gratia Defunctorum.

Ut per modum Anni Gratia Defunctorum animabus
 consulatur. Statuimus, ut quicumque ex Fratribus
 Beneficiatorum aut Collegiatorum vita functus fuerit
 elapsis plene Quatuor temporibus habeat complete
 Proventus seu Salarium Quatuor temporum sequen-
 tium, non vero amplius, pro anima sua consolatione.

XL.

De optione Avorum Collegiatorum.

Ad consulendum & providendum Universitatis com-
 modo, et incremento, et obviandum periculis et demoli-
 tioni ejusdem Universitatis, nec non ambitionis vitio.
 Statuimus, et irrefragabiliter tenendum decernimus,
 nullum ad Collegium more Nadab et Abiu Filiorum
 Aaron assumendi, admittendi et recipiendi per aliquam
 vel Personam aut alio quovis modo intrare nitenti,
 quam per Promotorum et Collegiatorum favorem
 duntaxat suam canonicam efficere gestientem pro-
 motionem, quorum interest optare, eligere & recipere
 ad Collegium Personas idoneas, quibus constat
 ad oculum in moribus et scientiis assumendarum
 valor et dignitas Personarum. Quod si quispiam
 huic Statuto contrarium attentaverit, optatio careat
 ipso

25.
ipso facto. Si autem procaci ac ausu temerario immemor sua salutis et honoris, aliorum quam per praemissa Promotorum et Collegiatorum Sanicorum Doctorum ambitiosè et impertunè non vocatus velut Aaron, sed promotus imò verius intrusus locum aliquè occupaverit, eatunc in eodem loco in perpetuum stare debet absque omni ascensu, ne dum ad Majus Collegium, verum et in eodem Minori Collegio ulli ascensum obtinebit, ut sua ipsi culpa in penam vertatur, et in eo loco contemptibiliter opprimatur et deficiat, quem iniqua ambitionis fastu usurpare non formidabat, cum nemo debeat sibi honorem assumere, nisi vocatus tanquam Aaron.

XLI.

De hora seu tempore claudendi Domum Majoris Collegii Statuti Antiqui Confirmationis confirmatique auscultatio sub Anno Domini 1530 confecta.

Quoniam quidem Leges et institutiones sanctè integrè ac sincerè observatae in unaquaque Domo, politica et communitate Legibus ordinata et regulata, sanctas ac integras famas homines reddunt. Quam obrem omnibus Doctoribus atque Magistris Collegii Majoris opera pretium visum est, ut reformatio necnon nova quadam constitutio antiqui
sta.

Statuti fieret per auscultationem de hora certa et
 tempore determinato claudendi Domum Majoris
 Collegii primum, ac deinde etiam Minoris Collegii.
 Quod quidem Minus Collegium iuxta Statuta et
 Institutiones Collegii Majoris tenetur ex Privilegio
 Erectionis suae ac Confirmatione Sedis Apostolicae
 regulari. Itaque sancitum est, ut in utroque Colle-
 gio hyemali commutatione hora tertiâ, aestivali
 verò hora primâ claudatur Janua Domus, non ob-
 stante veteri quacunque alia consuetudine, prae-
 terea sub ea ordinatione Domus Collegii Majoris, ubi
 propinatio Cerevisiae Proszsoviana in Cellario com-
 munitatis perhabita est. Hanc autem ordinationem
 volentes habere praesati Domini Doctores et Magistri fir-
 mam et perpetuam inviolabilem, decreverunt, ut omnes
 exorbitantes contra hujusmodi Ordinationem et Statu-
 tum mulctarentur arbitrariâ panâ. Et imprimis qui-
 dem illâ, quae habetur in antiquo Statuto de hora clau-
 dendi Domum descripta. Auscultatio autem hujus
 statuti facta est seriâ sextâ primâ post Festum
 S. Egidii Convocatione habita per Schedulam sub
 forma solita die et annò quò supra.

XLII.

De Panis Excedentium.

In Rectoratu primo Reverendi ac Egregii
 Vini Domini Martini Krohier à Cracovia,
 Phi-

Philosophia ac Jurisprudencia Doctoris
canonici Ecclesie Cathedralis Luceori-
ensis Etcc. Commutatione hiemali Anno
Domini 1558. Conclusio contra dome-
sticas Professorum controversias per
Universitatem noviter sancita atque decreta.

Quicumque raptus in quosvis affectus facile effervesceat, ut
quid deceat ipse non videat, alios recte instituere haud
quaquam potest. Proinde Nos Martinus Krokier à Cra-
coviâ Philosophia et Jurisprudencia Doctor, canonicus
Ecclesie Cathedralis Luceoriensis etc. ac Rector Gene-
ralis Universitatis Cracoviensis, cum Senioribus Patribus,
Decanis, ac Consiliariis legitime secundum consuetu-
dinem per Schedam Anno Domini 1558. Die XXII con-
vocatis, ad occurrendum quibusvis gravibus et variis
scandalosisque controversiis inter Professores publi-
cos Minoris Collegii, quos magno cum dolore audivi-
mus, et ex utraque discordantium parte eò quò pre-
cesserant ordine sunt coram Abbis exposita, et ad con-
sulendum quomodo illi et eorum similes quietius et
animo tranquilliore suis ad quæ vocati sunt numeri-
bus respondeant. Statuimus et Ordinamus, perpetuo
òque observandum decernimus, ut si quis Professorum
atque Magistrorum in quocunque
Collegio inhabitantium accideat contra alium verbis
irrisoriis, nationes confundendo, vel cognomina impu-
netis

nendo, nobilitatemque ad detrahendum plebejis oppo-
nendo, cognominationibus illidem scandalosis, famula-
tivis, aut quovismodo pungitivis insurgere audeat, pe-
nam unius sexagena pro Communitate, et publica depre-
cationis toties lueat, quoties Personis injuria fuerit illa-
ta. Si quis autem in Communitatem quocumque tempo-
re inter Magistros publice vel privatim congregatos arma-
tus ipse venerit, aut alios cujuscvis conditionis subordi-
naverit: excepta pixide seu bombardâ, propter quam
simpliciter excludendus erit. Item si in alium manibus
violentis aut quovis genere jactus vel armorum impe-
tum fecerit, nec tamen eundem verberaverit, supra-
dicta pena in omnibus suis punctis irremissibiliter
subjaceat. Quicumque verò aliquem crinibus vel
barbâ traxerit, aut quocumque modo vellitaverit, fa-
ciem aut alia membra corporis laceraverit, et ita ver-
beraverit, quòd nulla cruenta apparuerit nota, pro
pena Domino Rectori, qui interim fuerit, irremissi-
biliter reponat quinque Marcus, et primo ascensu in
Beneficio legitime cum sequente careat, et factum
publicè in eadem Communitate deprecetur. Si autem
quòd absit vulneraverit, parti lesa Medicinam expe-
diendo satisfaciat, Universitati verò penam decem
Marcarum per Dominum Rectorem, qui interim fu-
erit, exigendam reponat. Insuper duobus ascensi-
bus in Beneficiis cum immediate et legitime sequen-
tibus privetur. Si autem talis fuerit aliquis qui no-
sit vel non possit ascendere in Beneficia Universi-
ta

tatis, quindecim Marcas ab eodem Domino Rectore
 ut pro pena reponat Universitati, cogatur, nec quidquam
 absque consensu totius Universitatis eidem restituat.
 Si quid omnium predictorum in privato loco seu in
 habitatione alicujus, vel in habitationem factum fue-
 rit, in medio singularum, quae hic praescriptae sunt pe-
 narum, pro singulis excessibus quisque puniatur. Quod
 si vero quis ita importunus & pertinax fuerit, ut pe-
 nam pro assignata die & termino reponere tam in
 communitate quam apud Dominum Rectorem ne-
 glexerit, sub pena dupli ad alium sibi terminum pra-
 fixum reponere cogatur. Tandem secundum aliam
 assignationem termini sub pena tripli. Si autem
 non reposuerit, & ita contumacia existat, ut ne tantam
 quidem procrastinationem curet, beneficio per eundem
 Dominum Rectorem, obtentum apud Loci Ordinarium
Commissione, privetur et destituatur, ac à consortio
 reliquorum domoque ac emolumentis omnibus sine
 quovis favore excludatur, in locumque ejus statim
 post unam hebdomadam à privatione elapsam, alius
 vocetur secundum consuetudinem, acceptioneque Bene-
 ficii possessione pacifica & iusta immunitates Academicas
 quiete fruatur. Non obstantibus quibusvis Statu-
 tis et Conclusionibus super hujusmodi controver-
 siis aliquando decretis. Novis enim morbis nova
 remedia sunt adhibenda.

Anno Domini 1559. Die vero 17. Mensis Januarii
 auscultatum, & inter Statuta Universitatis, nec non Sta-

tutis Majoris et Minoris Collegii adscribendum per totam Universitatem secundum consuetudinem per schedam convocatam nemine contradicente decretum. Atque ut ad Mensas in principio Commutationum legatur, ne quis peccatum suum ignorantia excuset, sancitum.

XLIII.

De Contumacibus

Anno Domini 1560. Die Martis XXIII Julii Convocatione Dominorum Doctorum et Magistrorum per Magistrum Adalbertum Leopoliensem Praepositum Domus ad definiendam Domini Doctoris Michæelis à Wislica appellationem facta. Statutum in eadem ex omnium concordi voto est, ut contumaces sive Doctores sive Magistri: hoc est vocati ad Iudicium Domesticum non comparentes: panam sex grossorum luant. Quam si dare recusaverint, duplo subjaceant, ac tandem triplo. Cui si satisfacere noluerint, usus mensa communis illis interdicator tanquam rebellibus, et post cum eis quod Communitati magis videbitur conveniens, fiat. Sorvitores vero et gratialista quicumque contumaces inventi, plagas condignas à Praeposito Domus ferant, nisi benignitate Iudicii fuerit hæc pana aliquibus in pecuniariam versa, contravenientes autem his: domo excludant.

In eadem Convocatione quoniam quidam Statuto de honestate domus servanda supra descripto contravenire visi sunt, decretum est, ut omnino robur suum haberet, et perpetuo servetur.

CLCNCMS
Contentorum his in Statutis.

De Mensa Magistrorum fol. 1.
 De Bursa colligenda eodem.
 De Absentia Mensa fol. 2.
 De Tempore, quò aliquis Magistrorum tenebitur da-
 re totam Bursam fol. 2.
 De honestate Domus servanda fol. 3.
 De custodia et clausura Domus fol. 4.
 De Pernoctatione extra Collegium fol. eodem.
 De Præminencia Prepositi fol. 5.
 De Ordine Magistrorum Prepositantium fol. 6.
 De Reverentia Magistrorum ad Prepositum fol. 7.
 De Diligentia Prepositi et promissione Eiusdem. fol. 8.
 De Juramento Magistrorum Preposito. fol. eodem.
 Ut inter Magistros sit charitas et disciplina. fol. 9.
 De Voce danda in Consilio fol. 10.
 De Conclusionem faciendam per Prepositum in Consilio. eodem.
 De Familia communi Domus tenenda. fol. 11.
 De Lectura ad Mensam fol. eodem.
 De Locis Magistrorum habendis intra Mensam. eodem.
 De Portione servanda Magistro absenti. fol. 12.
 De Tempore, quò legi debent Statuta Collegii. fol. 13.
 De Collectione pecuniarum pro lignis. eodem.

De hoc, quomodo aliquem Magistrum deceat ambulare nocturno tempore.	fol. 13.
Quomodo Magistrum non decet divagari de die.	fol. 14.
De Discordantibus	fol. eod. ^{folis}
De Pace conservanda et antiquis litibg non suscitari.	15.
De Libraria custodienda	fol. 16
De Electione Novi Collegiati	fol. 17.
De Habitu Magistrati	fol. 18.
De Plebanatu Ecclesie S. Anna	fol. eodem.
De Ordine & Ascensu Magistrorum Collegii in Be: neficiis, Commodis, aut aliis Proventibus.	fol. 19.
De ingressu extraneorum ad Collegium	fol. eodem.
De Fisco in communi, et de collectione pecuniarum, e pro eodem.	fol. eodem.
De Custodia ab Incendio.	fol. 20.
De repositione pecuniarum per Prepositum Cerevisie.	fol. 21
De Officio Vincens & ejus pretio.	fol. 22.
De Absentibus.	fol. eodem.
De Servitoribus Magistrorum non multiplicandis	fol. 23.
De Anno Gratia Defunctorum	fol. 24.
De optione Novorum Collegiatorum.	
De hora seu tempore claudendi Domum Majoris Collegii Statuti antiqui Confirmatio	fol. 25.
De Penis excedentium.	fol. 26.
De Contumacibus.	fol. 30.

Copia Conclusionis Universitatis con-
 tinens. Ius Vocandi plenarium ad Colle-
 gium utrumque, ex Rectoratu et conclu-
 sionibus Magnifici Domini Rectoris
 Universitatis, per Magistrum Mathiam
 Kwasniewicz Cureloviensem, Proposi-
 tum Collegam Majorem, protunc Deca-
 num Artistica Facultatis extracta, et
 ex consensu R.R. ac V.V. Dominorum
 Doctorum et Magistrorum Annô Do-
 mini 1619. Statutis inserta, et sub hac
 forma inscripta.

Annô Domini Millesimô Quingentesimô octavô,
 Die Luna Vicesimâ sextâ Junii.

Facta Convocatione Omnium Doctorum & Magistro-
 rum duntaxat salariatorum, per Magnificum Domi-
 num Joannem de Regulis, Artium et Medicina Do-
 ctorem, tunc Rectorem Alma Universitatis Craci-

sub hoc tenore verborum = Egregie Domine Do:
 ctor & Magister Reverende. Suis hodie hora vige:
 sima in Stuba Communi Collegii Majoris Artistarum
 ad tractandum, consulendum & finaliter conclu:
 dum super certis negotiis & causis immunitatem et
 libertatem Universitatis concernentibus, & praser:
 tim in causa Dominorum Collegiatorum predicti
 Collegii Majoris, et Magistri Petri Aurisabri de
 Cracovia, ac super infectione aëris de aliisque per
 Rectorem proponendis, sub debito obedientia & para
 non contradicendi. Datur omnibus Doctoribus & Ma:
 gistris duntaxat salariatis ex parte Rectoris. Lecta
 & introducta eadem in conventu omnium tunc congreg:
 atorum, premisso maturo tractatu & deliberatione su:
 per immunitatibus & libertatibus, Juribus & Privile:
 giis, Statutis et consuetudinibus etiam à prima plan:
 tatione seu fundatione prefata Domus Collegii
 Majoris, suo in robore & firmitudine invidabili:
 ter semper servatis, commemorata etiam eligendi
 libertate, quâ eadem Domus semper usa est, ipso
 jure prescriptionis firmata, unanimi voto & consen:
 su omnium conclusum est, & per Dominum Rectorem
 prememoratum clara voce pronuntiatum nullo contra:
 dicente, eandem Domum Collegii Majoris Artista:
 rum, semper & ab initio fuisse, esseque liberam in
 suis electionibus seu vocationibus Personarum sive
 de

de Minori Collegio Magistrorum ad Majus, sive de Ordine Extraneorum ad Collegium Minus, ipsamque in suis Immunitatibus & libertatibus semper fuisse sicut pramittitur, privilegiatam, & à tota Universitate in eisdem libertatibus sine aliqua contraria instantia conservatam juxta tenorem Statuti directi ejusdem Domus, quod Formam talium dat, ponit & exprimit luculenter; disponimus, ut Persona magis idonea seu magis in scientiis, in Moribus, & Vita probata eligatur, & ad eandem Demum Collegii Majoris duntaxat per illos, qui eam inhabitant, jure eius ea prima fundatione concessa, liberè & legitime recipiatur. Et quoniam Magister Petrus Aurifaber de Cracovia nedum hujusmodi libertates eligendi impugnat, sed suscepta promotione in Theologia, perperam etiam taliter turbare ordinem promotionum & Beneficia Universitatis per expectationes praripere conatur, ideo per eandem Domum Collegii Majoris & totam Universitatem adversus eum procedendum ac descendendum est sumptibus & impensis ejusdem Collegii Majoris ac etiam totius Universitatis, propter instantiam insolitam & inauditam Magistri Petri Aurifabri de Cracovia prefatas libertates impugnantis, & contra quamcunque Personam pro parte ejusdem Petri sentientis aut sese quoquo modo interponentis, ita ut

36

Universitas tota det medium seu unam partem tali-
um sumptuum seu impensarum pro tali tuitione
et defensione necessariorum, et Domus Collegii
Majoris medium seu alteram partem toties, quo-
ties opus fuerit in causa mota cum Magistro
Petio procedere.

In eadem Convocatione conclusum fuit, Univer-
sitate propter imminentem aëris intemperiem non
esse dissolvendam, unumquemque tamen salari-
atorum maxime Auditores non habentem, ubi
sic potius videretur ad tempus à legendo fore
absoluturum, liberumque ad exeundum de Civi-
tate Cracovia, implorata tamen super hoc veniâ Recto-
ris.

Fragmentum conclusionis ex con-
sensu totius Universitatis Annō Do-
mini 1619. Die sexta septembris fa-
cta, et per Magistrum Mathiam
Kwasniewicz Cureloviensem, in
secunda Propositura Codici Legum
Venerabilis Comunitatis Collegii Majoris insertum.

Ad evitandas factiones in Vocationibus ad Ma-
 jus & Minus Collegium, concursus fiat per noviter
 vocandos in disputatione vel scriptione ac decla-
 matione; ad disputationem ejusmodi invitetur Rec-
 tor, Seniores Patres, & Collegiorum Communita-
 tes, sufficientiaque scientia sive in Philosophia,
 sive in Oratoria Facultate, Mathesi, Poësi, Lin-
 guis spectetur in vocando, non verò excellentia;
 salvo nihilominus jure vocationis, quod Majori
 Domui à primava Universitatis plantatione
 competit. De tempore verò disputationis, scrip-
 tionis aut declamationis faciendâ conclusum est,
 ut diebus canicularibus & Quadragesimalibus
 tum & aliarum Vacationum prædicta ingenio-
 rum specimina edantur. Qui autem ex noviter
 vocandis prædictis modis se non habilitaverit,
 inhabilis declarabitur. Idem de vocatio-

ne ad Collegium Jurisperitorum fieri placuit, vi-
 delicet ut noviter vocandi ad Collegium suffi-
 cientiam suam probent per publicam dispu-
 tationem, in aliis omnibus salvis statutis Colle-
 gii & Conclusionibus Universitatis.

Ex Libro Conclusionum et Constitutionum
 Universitatis Cracoviensis extractum.

Hæc Statuta Collegii Majoris legitimi characterem
conscripta, fideliter esse ex antiquo ejusdem Collegii sta-
tutorum libro extracta attestor, eademq; Rectorali aucto-
ritate approbo Die 22. Januarii a.D. 1766.

M. Casimirus Sepplowski S. Theol. Doctor et Pfr
Judicis Gubernis Thivie in Racovien Rector mpp.



